

Disputationis theologicae theses de peccato, quas ... in synodo Strengnesi ...

Rothovius, Isak,

Strängnästryck



National Library
of Sweden

DISPUTATIONIS
THEOLOGICÆ THESES
DE PECCATO,

QVÆS

DIVINA ADIVVANTE GRATIA
in Synodo Strengnensi diebus 18. 19. & 20. Junij,
Anni elapsi 1607. publico subiectas
examini, defendebat.

ISAAC B. Rothovius
Pastor Nycopensis.

Plato 2. polit.

Omni contentione pugnandum est, ne quis in ci-
vitate quam benè regi volumus, vel dicat vel audiat, seu
senex seu iuvenis, sive in poëmate, sive in alia oratione,
Deum esse causam malorum; quòd neq; ita sanctè dici
potest, neq; utile est moribus, nec secum consentit in ex-
plicatione.

STOCKHOLMIAE

Expressæ apud Andream Gutterwitz,
Anno Christi 1608.

GENERO SO DN. AXELIO GV.
STAVI OXENSTIERNNA

à Fibolm, fautori suo tutissimo.

S. D.



Postquam, Generose Dne Axeli, ex sententia Capituli nostri, nec non pastorum totius dioceseos unanimi consensu, provincia moderationis συζητήσεως diebus 18. 19. & 20. Iunii Anni elapsi 1607. in templo nostro Cathedrali, iuxta præ antiquitatis ritum instituendæ, mihi commissa sit; commodum spectans auditorij Theologici (habita oratione Synodali) totum disputationis cursum, more Academico, in certas Theses redigi: quas (urgentibus atq; sedulo rogantibus amicis, prelo subiiciens) Tuæ Generositati inscribo atq; offero, partim ut publicum aliquod extet gratitudinis meæ erga T. G. Τευμύπιορ, animo infixam monstrans teneri prædicanda G. T. officia, non tantum in patria, verum etiam extra eandem, præsertim VVitebergæ integri biennij spacio, largissimè in me collata; partim quod sciam G. T. divinis hisce exercitijs plurimè delectari: quod non tantum incomparabilium nostri seculi Theologorum, verum etiam disputationum Theologicarum, in VVitebergensi & Ienensi Academijs magna cum laude & plurimorum doctissimorum virorum admiratione T. G. publicè defensorum testimonio comprobatur. Novit enim T. G. hac via, generositatis veram gloriam parari, partam tueri atq; ad seram posteritatem propagari. Serenâ itaq; fronte chartaceum hoc munusculum T. G. accipiat, meq; ut hactenus, ita in posterum promovere pergat. Quod super est, divinæ protectioni T. G. una cum tota illa generosissima familia Oxenstierniana, supplex commendo. Nycopiæ die S. Trinitatis, Anno 1608.

Tuam Generositatem
officiose colens

ISAAC BERGERI R.
Pastor Nycopensis.

THESIS I.



Iquidem notitia quam tradit philosophia, habetq; de peccato humana ratio, magna laboret imperfectione, multis scateat absurditatibus, modisq; varijs confusa sit: Iccirco ex promptuario S. S. pleniorē & firmiorē duximus hauriendam.

2. Solida enim huius loci cognitio, tam est necessaria, quàm in religione Christiana esse alia ulla possit.

3. Quanquam autem Scholasticis quondam doctoribus, quid peccatum sit, explicare fuit ἀδύνατον visum: nos enim scripturâ θεοπνευστῶν diversum sentiente rectius es docti, negotium totum compendio strictissimo includimus.

4. Peccatum est exorbitatio à lege, 1. Ioh. 3. v. 4. Os. 6. v. 7.

5. Quod licet secundum varios considerationis respectus, multifariam distinguatur: Tamen præcipue ac generalissimè in primum & in primo ortum, id est, originale & actuale dispesctur.

6. Vndè duo huius disquisitionis nobis emergunt capita prius de originali, postèrius de actuale peccato.

De priore.

7. Est autem peccatum originis, horrenda omnium virium in humana natura depravatio, lapsum Adæ secus ra, & contra Dei voluntatem astutiâ diaboli & hominis inobedienciâ inveccta: quâ pulcherrima imago Dei in homine, in qua conditus erat, prorsus destructa, mens densissimis ignorantia de Deo tenebris excæcata, vor

luntas à Deo averfa, & divinæ voluntati inimica effectum est, poenæq; temporales & æternæ attractæ sunt.

8. Geminum ergo est huius contagiofæ luis malum.

9. Vnum corruptionis proprium est.

10. Quæ gemino crure incedit, carentiâ nempe iustitiæ originalis, & contrario vitiositatis habitu, quo fit ut figmentum cordis humani malum sit, ab adolescentia.

11. Alterum est reatus iræ divinæ, secum iliada maiorum trahens.

Propagatio peccati originalis. 12. Propagari hoc vitium in posteros per carnalem generationem dilucidè perhibet Moses, Gen. 5. v. 3.

13. Vt enim nisi peccasset Adam genuisset liberos iustos, naturæq; integræ & rectæ cuius erat ipse: Ita post peccatum genuit liberos sibi similes, hoc est, peccatores & iniustos qualis erat ipse.

14. Hinc tristissimæ omnium sanctorum querelæ, Iob 14. Psal. 51. Rom. 3. & 7. Prov. 20.

15. *Anglicus* erit notandus locus ille, Rom. 5. v. 12. ubi & stirps & ortus, & subiectum, propagatio & complexus sive latitudo, & reatus atq; effectus, & deniq; tota mali istius compages & structura, accuratè expressa continetur.

16. Inde patebit errare Anabaptistas peccatum hoc pernegantes, præterq; omnem scripturam prorsus annihilantes, imò inventum esse Augustini contendentes.

17. Quid porrò contra Zuinglium, infantes à peccato originis immunes esse pronunciantem, clarius dici unquam potuit, quam quod Gen. 6. v. 5. affirmatur? Omne figmentum cogitationum cordis humani duntaxat malum esse omni die: etiam tum quando foetus inter viscera materna delitescit,

Et ne

18. Et ne quis putet imitatione tantum, cor humanum malitiam hanc contrahere addit; à pueritia.

19. Vtq̄ omnis extimatur dubitationis scrupulus testatur David Psal. 51. se in peccatis conceptum natumq̄ esse; quippe peccatum tunc in sua massa hæsisse, cum primum formari inciperet, imo matrem sanguine suo in utero peccatum aluisse.

20. Cui annuit Esa. cap. 48. 8. Salvator ipse Ioh. 3. 6. imò tota passim scriptura.

21. Neq̄ affirmantes foedissimam istam labem à parentibus in sobolem derivari; vel Deo creatori ac conservatori peccatum tribuimus, vel coniugium damnamus.

22. Nam ut Deus ἀνάμαρτος, ita coniugium est honorabile.

23. Verum inter naturam ipsam & eiusdem ἀνάμαρτον cum Augustino distinguimus, illius autor Deus est, huius vero minimè.

24. Vtrumq̄ propagatur & natura & naturæ vitium quorum unum est bonum, alterum malum; illud de conditoris largitate sumitur; hoc de originis damnatione attrahitur.

25. Neq̄ propter coniugium quod ratione Dei bonum est, in infantes labes illa descendit, sed propter naturam corruptam illa enim natura in qua habitat peccatum, etiam in coniugatis non potest aliam quam vitiosam generare naturam, Gen. 5. Psal. 51.

26. Huc pertinet quæstio illa nobilis, quæ multum peperit negotij tum philosophis tum theologis, de animæ humanæ propagatione. Propagatio animæ hominis.

27. Ad quam respondemus, vi verborum & benedictione Dei, totum hominem ex toto homine generari,

ita quidem ut in semine parentum divinum quiddam lateat potentiam, quod beneficio virtutis formatricis excitatur & accenditur, non aliter atque in silice latet ignis qui attritu ferri elicitur.

28. Ut ergo corpus à corpore, sic anima propagatur ab anima, tanquam lumen à lumine accensa.

29. Cuius assertionis rationes in ipso cursu disputationis adducentur.

30. Quamquam enim spirituum multiplicatio absolva videatur: Tamen ἀτοπος hoc spiritus sancti metas physica solvit, qua spirituum corporibus devinctorum multiplicatio produci queat, etiamsi mirandi illius operis ratio explicita non inveniatur.

*Subiectum
peccati
originis.*

31. Subiectum huius labis constitui mus non solam carnem, nec inferiorem facultatem sensitivam, sed totum hominem, hoc est animam cum omnibus suis facultatibus, corpus cum omnibus suis membris, totumque id quod caro in scriptura usitate appellatur.

32. Quam sententiam Anabaptistarum, Scholasticorum & Pontificiorum nugis contrariam, sequentia probant ac confirmat testimonia, 1. Ioh. 6. Rom. 7. 23. 1. Ioh. 2. Eph. 5. Act. 18. Gen. 6. 5.

33. Quæ omnia compendio strictissimo complectitur Apostolus 1. Corinth. 2. v. 14. Rom. 3. 9. 10. &c.

34. Eadem testimonia docent esse hoc malum originis peccatum verè, ut quod hominem polluit & immundum efficit, à Deo eiusque voluntate penitus illum avertens, eumque coram Deo abominabilem reddens.

35. Peccatum hoc, teste Augustino, in baptismo tollitur, non ut non sit, sed ut non imputetur.

*Concupiscentiam
esse peccatum,*

36. Unde patet graviter errare Tridentini concilii autores, concupiscentiam peccatum esse aut dici, propria ratione nullam posse, contendentes. Repus

37. Repugnat enim legi Dei concupiscentia : Et Paulus dicit, quod non sit bonum, sed malum quiddam.

38. Valeat ergo ratiocinatio, ubi scripturæ aperta sonat enuntiatio. Rom. 7. disertè nominatur peccatum.

39. Maledictus ergo qui tanto Apostolo obloquit non exhorrescit.

40. Rectius sensit Augustinus, qui concupiscentiam, & peccatum, & peccati pœnam, & peccati causam esse pronunciat.

41. Quod enim regerunt Esavitæ, concupiscentiam non habere rationem peccati, quia non imputatur renatis, sublato per baptismum vitio ac pravitate : illud non militat.

42. Nam, non dicius, inquit Augustinus, sanctificari & fidelem fieri concupiscentiam quæ in regeneratis manet, sed dicimus reatum eius, non quo ipsa rea erat (neq; enim persona aliqua est) sed quo reum hominem originaliter faciebat remissum & solutum esse. Ipsam vero esse malam, ita ut ab ea peste regenerati desiderent atq; optent sanari.

43. Sed redeamus ad qualitatem huius mali, in cuius decisione duplicis præcipiti vitatio notanda : Tum ne excessu peccetur in æstimatione huius mali, tum ne defectu delinquatur.

44. Ex priori parte lapsus committetur, si ad classem substantiarum, malum istud referatur.

45. Quo facto aut Deum peccati autorem statui necessum est : aut duo fingi rerum principia : quorum neutrum vero consenat.

46. Fuit olim in hoc errore hæresis Manichæa, cuius nuda commemoratio, refutationis instar esse potest.

Ad cu,

47. Ad cuius stuporis proximum vaticinium ante aliquot annos accessit M. F. Illyricus, nullum agnos- scens inter peccatum & hominis substantiam, discrimen.

48. Docet autem scriptura, neque peccatum in ge- nere neque in specie, substantiale quid & per se subsistens esse, sed παρακείμενον, ἐνοικῶν ἢ ἐνπερίστατον, Rom. 7. 20. Ebr. 12. 1.

46. Ostendit liber concordiae, vix ullum religionis Christianae articulum consistere posse, si portentoso isti dogmati locus concedatur, adeo ut nesciam an ulla unquam haeresis stolidius delirium propugnavit.

49. Verum, ex adversa parte, non minus apparet precipitium, si videlicet levius quam par est, de mali istius conditione sentiatur.

50. Fuit hic in gravi crimine Pelagius, qui peccati specie hac negata, naturam humanam sine vitio & labe damnabili esse, nec aliud in homine peccatum esse asseruit, nisi quod voluntate propria contractum non propagatione, sed imitatione saltem & exemplo committeretur.

51. Haec haeresis magnam & primariam fundamentorum partem in religione Christiana subruens, publica conciliorum autoritate damnata est, praesertim quod cruci Christi inimica esse deprehenderetur.

52. Proscriptam vero, & in exilio locum querentem, Romanenses hospitio exceperunt, foverunt, vivificaverunt. Dum nec culpae nec poenae rationem illud peccatum habere statuunt, peccatillum nominant, & quovis actuali peccato levius censent.

53. Pelagio affinis est secta Anabaptistica, infantes sine labe nasci asserens.

Subscribitur

54. Subscribit huic stultitiæ Zuinglius, fanaticè
dicens originale peccatum non mereri damnationem
modo quis ex parentibus fidelibus fuerit natus.

55. Cui etiam Sacramentarij suffragantur, sic à
reatu immunem statuentes fidelium progeniem, ut sans
cta nascatur ex parentibus: quæ utero etiamnum inclus
sa antequam lucem aspiciat, in foedus vitæ æternæ co
optata sit, quod totidem verbis scribere Calvinus non
crubuit.

De posteriore.

56. Diversam ab hoc peccato speciem *Actuale* De pecca
constituit: sic dictum ab agendo, quia à nobis cogitas to *actua*
to, affectu, dicto vel facto agatur. li.

57. Estq; peccatum actuale omnis vitiosus affe
ctus cogitatus, dictum aut factum contra legem Dei ex
originali vitio proveniens.

58. Vnde hæc species vulgo fructus peccati origi
nalis appellatur.

59. Scriptura actiones veteris hominis, opera car
nis, nominat, Col. 3. 9. Gal. 5. 19.

60. Huius multiplex variatq; est pro diversitate res
spectuum distinctio.

61. Aliud enim est internum, v. g. affectus & *Internum.*
moti in potentijs animæ superioribus, utpote mente, vo
luntate, corde, hærentes: omnes pravæ cogitationes,
sive forinsecus à Satana immissæ, sive humanitùs absq;
peculiarì diaboli inspiratione in mente surgentes, eamq;
ad illicitæ rei appetitionem inclinantes.

62. Vnde iam nomen concupiscentiæ sortitur.

63. Notetur enim concupiscentiam esse & pecca
tum actuale & originale.

64. Originale quatenus denotet pravorum motus ad quos consensus non accedit.

65. Actuale quando consensus machinatio & persecutio eius rei, ad quam pravi motus sollicitant, accedit.

Externum. 66. Aliud externum, sub quo sermones impuri, omniaque externorum membrorum in legem Dei opera impingentia notantur.

67. Hinc varia peccatorum actualium natae sunt divisiones, quae quam graviter & multifariam Deum offendimus ostendunt.

Omissionis. 68. Quaedam enim sunt omissionis, cum quae verbo facere iubemur, omittimus.

Commissionis. 69. Quaedam commissionis, cum quae lege prohibentur committimus.

70. Peccatum huius generis semper peccato alio gravius est, aut levius; Suntque ut poenarum; ita peccatorum certi gradus.

71. Unde Stoicorum, omnia peccata absque ulla exceptione paria esse statuentium, opinio concidit.

72. Peccati aut gravitatem metimur aestimatione personae, tum subiectae tum obiectae; rei laesae, facinoris patrati, notitiae, proposito, continuatione, iteratione, condelectatione, patrocinio & similibus.

73. Et si autem in foro civili ignorantia delictum saepe excuset; tamen coram Deo nulla est vel facti vel iuris ignorantia id ipsum praestans.

74. Quare in lege Mosaica pro ignorantiae etiam delicto sacrificium fieri Deus voluit, Lev. 5. 17. Num. 15. 22. 30.

75. Imò dari potest ignorantia crassa & affectata, aggravationem potius quam indulgentiam concilians peccato.

Peccat

76. Peccatum contra conscientiam est quod fit à *Peccatum*
sciente & volente. *contra*

77. Huius sæpè contrahitur reatus, non modo de *conscien-*
signatione, sed communicatione etiam criminis alieni. *tiam.*

78. Quod variè fieri potest : Suggestione, consi-
lio, iussione, consensu, adulatione, silendo, connivendo.

79. Vbi notemus, socium criminis cum autore e-
iusdem, pari reatu involvi, Rom. 1. Psalm. 50.

80. Porrò non reijcimus peccati in mortale & ve- *Mortale*
niale distributionem Scripturæ apertis fundamentis mus *& veniale.*
nitam. Rom. 7. v. 27. c. 8. v. 1. Psal. 32. Ioh. 8. 34.

81. Pharisei olim putabant discrimen hoc sum-
ptum ex naturâ legis divinæ, ideoq; præcepta divide-
bant in magna & parva : quorum illa violata, mortali
peccato : hæc non observata veniali peccato materiam
præberent. Quod refutat Christus Matth. 5. 19.

82. Pontificij discrimen hoc ratione actus ipsius
per se considerati sumunt, veniale peccatum appellan-
tes, quod per se venia sit dignum, ob quod Deo non sit
causa irascendi : ideoq; aqua lustrali facilè expietur.

83. Facebant ista ociosorum ventrium deliria in
sacrarum rerum tractatione pueriliter nugantium.

84. Differt quidem ratione actus peccatum à pec-
cato, ut aliud maius aliud minus sit : verum quoad reas-
tum violatæ legis, similia sunt omnia.

85. Postquam enim in lege voluntatem suam
Deus non aperuit, non tam videndum est quid preci-
piatur, quam quis sit ille qui precipit, cuius voluntati
resistens iudicij reatu, Deutro. 27. implicatur.

86. Cumq; peccatum licet actu finitum sit, in in-
finitum tamen Deum impingit, eiusq; æternam iustiti-
am ostendit : Idcirco æternam infinitamq; meretur pœ-
nam.

87. Imò suâ naturâ & extra Salvatoris meritum, omne peccatum est æternâ morte dignum: adeò ut internæ cogitationes aliàs in iudicio humanæ liberæ, mortalia sunt peccata æternasq; merentur pœnas.

88. Hinc omnia non renatorum peccata duntaxat sunt mortalia. Imò ostendit Chemnicus omnia non renatorum opera præclarissima, esse peccatum.

Tom. 1.
fol. 305.

89. Et hoc est quod Lutherus dicit: Nullum peccatum suâ naturâ veniale est; sed omnia sunt damnabilia, quod autem venialia fiunt, id gratiæ Dei tribuendum est. Item Deus semper odit peccatum: imò omne peccatum quoad substantiam facti est mortale: quod autem credenti non est mortale, fit propter Christum mediatorem.

Tom. 4.
fol. 172.

Non Regnans.

90. Peccatorum verò quæ iustificati & damnati faciunt, ea est differentia, ut quædam appellentur non regnantia, ut sunt dubitationes, cogitationes & concupiscentiæ pravæ quibus illi resistunt. Item improvidè dicta & facta ex ita subita & incogitata, ignorantia non affectata vel quacunq; affectuum perturbatione, Psal. 19. Prover. 24. Rom. 7.

Peccatum regnans.

91. Regnantia sunt quando homo peccatum originis omnium reliquorum fontem regnare sinit in suo mortali corpore, ut obediat illi, laxato freno concupiscentiæ.

92. Hæc passim enumerat Paulus, in primis verò 1. Cor. 6. Gal. 5. Ephes. 5. Col. 3.

93. In quæ si quis ruit, Spiritum sanctum excusit, gratiam & favorem Dei donec resipiscat, amittit.

94. Quanquam autem hic non incommodè addi possent variæ peccati actualis divisiones: Tamen brevitatæ studio eius omittimus, atq; in ipsum disputatio-

nis curs

nis cursum rejicimus; præsertim cum in quorumvis manibus scripta clarissimorum virorum absolutissima possint haberi.

95. Coronidis saltem loco dicetur de peculiari quadam tristissima ac tremendi peccati mortalis specie, quam irremissibilem Christus pronunciat, cui peculiariter nomen tribuit, dum peccatum in Spiritum S. id appellat.

96. Quid & quodnam hoc sit peccatum variè ab autoribus disceptatur. Christus exemplum eius monstrat in Phariseis, qui veritatis à Christo prædicatæ vi constricti, & fulgore eius in conscientia convicti: malitiosa tamen impietate sic in Christum debacchantur, & eò diabolicæ impietatis ruunt, ut quod à Dei spiritu profectum cognoverant, contra cordis sui testimonium, ad principem demoniorum Beelzebub, referre non erubescabant.

97. Ne autem perturbatis conscientijs sua adimatur consolatio, vel nervus incidatur promissionum Dei de gratia & infinito Christi merito: probè erit excusandum de quo peccato loquitur Christus Matth. 12. v. & Apost. Eb. 6. & 10. 1. Ioh. 5.

98. Agitur enim hic non de peccato quolibet, quantumvis alias mortali, sicut Novatiani hominibus peccantibus gratiæ ianuam claudentes, ineptè somnabant.

99. Sed de ἀνομοσία ab agnita veritate, obstinata & cum blasphemiâ coniuncta.

100. Vnde peccatum in S. S. rectissimè definitur Peccatum tur, quod sit divinæ agnitæ veritatis voluntaria, malitiosa & pertinax impugnatio cum blasphemia coniuncta. *Peccatum in Spiritum S.*

101. Diciturq; peccatum in Spiritum S. quia hoc admittentes ipsius S. S. organom reiſciunt, eiusq; testi-
monia quibus in conscientia sua convicti sunt veritate,
scientes & volentes repellunt.

102. Irremissibile dicitur non quod absoluta cum
remissionis ἀδυναμία sit coniunctum: Tale enim nullum
est peccatum, mentitus enim est Cain Gen. 4. v. 13.

103. Peccatum non superat gratiam, sed gratia
peccatum.

104. Meritum etiam Christi est universale, 1. Ioh.
2. Ioh. 3. Promissiones item gratiæ sese extendunt ad
omnes homines.

105. Verum irremissibile vocatur, dum peccantes
ipsum conversionis & salutis organum, verbum Dei,
imò thronum gratiæ I. C. non obliquè sed directè, &
quidem extremo conatu ad amentiam & rabiem usq;
oppugnant.

106. De hoc peccato, monente Augustino, nun-
quam nisi à posteriore erit iudicandum.

107. Singulos tandem errores partim Thesisibus
expressè notatos, partim implicitè compræhen-
sos reiſcimus: Deum rogantes ut in
veritatis tramite nos
custodiat.

F I N I S.

EXIMIO ET PRÆSTANTI VIRO,
MAGISTRO ISAACO ROTHOVIO,

Nycopiensium Pastori præclaro, amico
multum dilecto, &c. S.

O Mnia quæ tractat mundus, simul atq; revolvit,
Languida sunt certè, præter amare Deum.
Nam perit hic mundus, perit & quod continet in se;
Sed manet æternum qui colit ipse Deum.
Est igitur studio virtus quærenda per omne,
Ad patriam sanctam monstret ut ipsa viam.
Idcirco magnas tibi nunc mi docte Magister.
Grates persolvat, plebs studiosa Dei.
Quod monitis urges, virtutis semina quisq;
Quærat, ut excelsum noscat adire Deum.
Perge igitur felix, multum tu perge beatus,
Cum patriæ studijs profis ubiq; tuis.

ILLVSTRISSIMI ET POTEN-

TISS: DNI. CAROLI SVECO,

RVM, GOTHORVM &c. Regis

invictissimi, aulicus Concio-

na'or

SVENNO IONAE

Moderus.

ALBANY, N. Y. 1850
PUBLISHED BY
J. B. KETCHUM
No. 100 N. 3rd St.

THE
ALBANY
ALBANY, N. Y.

ALBANY, N. Y.

ALBANY, N. Y.

ALBANY, N. Y.

ALBANY, N. Y.